

peccatorum factam absenti sacerdoti; in eventu autem de quo sanctus Leo egit, et ob quod Suarez explicationem decreti Clementis superius recitatum adornavit, expositionem culpae fieri praesenti, eo quod confessarius statim supervenire supponatur, nec inter aegri petitionem exterius significatam, et adventum sacerdotis ad absolvendum, interjiciatur mora, confessario confestim advolante. Haec tamen interpretatio decreti Clementis est paries inclinatus et maceria depulsa. Quid si enim confessarius non ita cito superveniat? Potest enim serius accepisse nuncium; potest item magna capedo intercedere, quam non potuerit adeo festinato decurrere, ut statim post aegri petitionem superveniret. Aliqui etiam non sunt volucris ingenii, sed lenti ac plumbei. Debebitne igitur lentitudo et morositas confessarii misero aegro fraudi esse? Quid si etiam cum confessarius aegro adest, dilapsi sint omnes testes, ex quorum praesertim relatione examinet aegri conscientiam, ut possit dici peccatorum expositionem praesenti a praesente, in suis ministris, factam esse? Nemo non videt hujusmodi interpretatione, praesentiam aegri prius confessi allegante, captari latebras; nec sincere agendo negari posse quin illa peccatorum expositio facta sit sacerdoti absenti, per aegrum tunc ab eo abjectum. Unde si decretum Clementis non accipiat divisiva quoad primum membrum copulati in eo damnati, neganda esset absolutio aegro subito oppresso, contra decreta antiqua S. Leonis et Conciliorum superius adductorum.

Denique quod Vasquez et Tannerus referebant potius quam asserebant, ut subsistat, debet in responsionem a Suarez assignatam recidere. Nam testimonium eorum qui praesentes fuerunt potest exhiberi sacerdoti absenti, ita ut ipse sacerdos ad aegrum adveniens nullum reperiat qui attestetur voluntati praeteritae aegri jam oppressi. Et tamen tunc sacerdos, ex notitia, cum abesset comparata, potest ac debet absolvere aegrum praesentem. Ergo expositio peccatorum facta est absenti. Neque vero cum adsunt testes in aegri praesentia testantes de ejus praeterita dispositione, confessio quae est pars sacramenti est actus testium, sed ipsius poenitentis, cum sui compos esset, a quo tunc aberat sacerdos. Igitur confessio, id est, peccatorum expositio, facta est in absentia sacerdotis; quod unum asserit Suarez; ac proinde damnatio confessionis in absentia, per Clementem facta, non est

sumenda divisiva, sed complexiva, quae erat Suaris interpretatio, a qua volebant videri dissidere, qui istam protulerunt, tanquam diversam ab interpretatione Suaris. Testium porro cum interprete comparatio quae adhibetur in hac interpretatione decreti Clementis, non subsistit ex omni parte, sed tantum quoad hoc quod et interpretes et testes enunciant voluntatem poenitentis, isti ob ejus corpoream indispositionem, ille ob idiomatis confessario comperti ignorationem in poenitente. Caeterum, interpretes, qui est merus interpretes, excipit praesens expositionem peccatorum factam a poenitente, et absque mora eam renunciat confessario praesenti, quae in teste possunt deesse. Itaque expositio peccatorum facta per testes non facit ut confessio, quatenus expositio peccatorum, fiat praesenti a praesente per interpretem; sed potest fieri ab aegro absente, ut Suarez loquebatur; in quem proinde recidunt isti, ut verborum officiis ingestis videri velint ab eo discedere.

Quare fatendum est responsionem, assignatam a Suare ad argumentum petitum ex decreto Clementis, esse idoneam (si res ipsa attendatur), nec tantum non esse improbabilem, sed etiam plane esse probabilem et simpliciter veram, ac tuto in praxi usurpandam, nec contradicere ulla ratione decreto primo Clementis, aut illis posterioribus, quae, quamvis sint longe inferioris notae quam decretum Clementis, sunt tamen ipsa quoque in suo gradu et ordine venerabilia. Aio esse inferioris notae quam decretum primum Clementis; quia decretum illud Clementis prolatum est ex cathedra, Pontifice proponente doctrinam universaliter amplectendam ab omnibus fidelibus, in materia spectante doctrinam fidei; cujusmodi decreta faciunt rem plane certam, nec ullo modo sunt obnoxia errori. Et quamvis alia fortassis esset mens eorum qui Clementem ad illud decretum perpulerunt (fuisse suos ait Nugnus, disputatione superius notata, et Coquetius, capite tertio dissertationis), cui suggestioni si ad eorum mentem inhasset Pontifex, periculum erat ne ejus decretum cum doctrina sancti Leonis et antiquorum Conciliorum cum magna implexitate fidelium collideretur, tamen providit Deus ut verba quibus decretum conceptum est talia essent, ut decretum omnino recte haberet, et probe cum antiqua doctrina cohaereret: sicut decretum Caiphæ contra Christum, ex mente Caiphæ, erat teterrimum; spectatis autem verbis quibus expressum est,

fuit oraculum Spiritus Sancti. In hujusmodi ergo decretis, non attenditur quid intendunt qui ea confici curarunt; ac ne illud quidem attenditur quod in animo suo habuit Pontifex decernens; sed tantum attenditur quid verba ferant, quibus decretum est conceptum. Nam illa sunt quae continent doctrinam publicam, omnes fideles obligantem.

At posteriora illa inferioris notae decreta non spectant materiam fidei, nec proponuntur ex cathedra, sed tantum judicialiter a Pontifice per se vel suos ministros feruntur, praefixo Pontificis nomine; sicut laici senatus decreta emittuntur nomine regis, ut plurimum de eis plane nescii. Itaque merito dico haec posteriora decreta non esse tantae firmitatis et dignitatis quantae priora; et in illis posterioribus intervenire posse aliquid humanum, ac etiam errorem, omnes aequè consentiunt, uno dempto F. Gravina, Ordinis Praedicatorum, qui per adulationem putentissimam effutivit, omnia quae in quibusvis Romanis Congregationibus Pontificia auctoritate constituta decernuntur, certa esse, et nulli errori obnoxia, ob specialissimam Dei providentiam, qua iudices donantur infallibilitate in decernendo. Vix oculis meis credo, cum asseveranter ab eo traditum lego, tomo quarto Praescript., controvers. quinta, articulo quinto, dubio secundo, pagina centesima decima quinta, nullum decretum Romanae alicujus Congregationis, ex iis quas Sixtus V erexit, posse esse fallibile, propter assistentiam summi Pontificis in ea curia; et quia nunquam potest esse deceptio aut error in Clero Romano. Vides quam jure Antonius Saura, tract. de Primis instantiis et aliis recursibus, in propositione status controversiae, § 4, pag. 56, dixerit: *Nullus, a condita Ecclesia, dixit de Pontifice quod Gravina scripsit de Romanis congregationibus, scilicet, congregationes sacras de Ritibus, de Regularibus, de Indice, de S. Officio, errare non posse, etiam in questionibus de facto, neque posse decipi per subreptionem, vel fraudem informantium, neque, etiam inaudita parte, iudicium illarum esse fallibile.* Notat ibidem Gravina ut suspectum de fide quemdam aliter decernentem. Hoc vero est dilatare absque modo phylacteria auctoritatis a Christo tributa sancto Petro, ac ejus successoribus, in tradendis fidei dogmatibus ac declarationibus sanctorum morum. Quam infallibiliter dicendi auctoritatem, ne Conciliis quidem generalibus praecise a Pontifice sumptis competentem, palpo iste ad tot Congregatio-

nes diffundit. Non ita Laurentius de Peyrinis, qui omnia hujusmodi Congregationum Romanorum scita, extra ea quae Pontifex e Cathedra docens in eis emittit, quae non sunt Congregationum, sed ipsius Pontificis magistri fidei decreta (quale fuit nuperum Innocentii X decretum de Ecclesia bicipiti in Congregatione Inquisitionis emissum), ait non plus habere ponderis quam sententias Doctoris privati; ita ille, adducens plerosque Doctores, tomo primo de Subdito, quaest. 4, cap. 23, sub finem. Decreta ergo illa posteriora, sive ipsius Clementis, sive Pauli, cum sint hujus secundi generis, non pollent tanta auctoritate quanta decretum primum Clementis, quia non sunt lata a Pontifice ex Cathedra; nec raro hujusmodi decreta (quod de Parisiensis Academiae decretis aiebat, ex Aegidio et aliis, Capreolus, in 2, distinct. 2, quaest. 1, § 1 Gregor.) emittuntur *ad requestam aliquorum capitulorum*. Et circa ea potest imponi Pontificibus doli nesciis, et praemole negotiorum multa permittentibus discussioni aliquorum, interdum suis affectibus velificantium; alioqui, ut alia multa exempla quae ad manum sunt praetermittam, illa decreta nomine sanctissimi edita, essent censenda prolata ex Cathedra: *B. Virgo incurrit debitum peccati originalis. B. Virginis Conceptio passiva* (id est prima animatio) *non est dicenda immaculata; quamvis dici possit eam fuisse expertem peccati originalis. Communio alii quam summenti prodest ex opere operato.* Quae et alia praefixo nomine sanctissimi prodierunt, et tamen est extra dubium nihil tale decisum esse ex Cathedra.

Ad hanc amussim exigenda sunt posteriora illa decreta, in quibus quod dicitur, interpretationem a Suare datam circa Clementis decretum non subsistere, accipiendum est ex suppositione decreti primum a Clemente, tum a Paulo V emissi, de excludenda quavis interpretatione decreti Clementis, sed eo ut jacet referendo; quod quavis glossa appositae, praesertim superstitae ipso Clemente, videretur famam ejus deterere, quasi emisisset decretum cui opus esset Doctorum declarationibus, ne collidi videatur cum anterioribus Ecclesiae decretis. Hoc enim est quod Clementi, dum superstes esset, suggessere amuli Suaresii, mussantes dedecuisse prorsus, legis auctore in vivis perstante, aliunde quam ex ejus ore petitam interpretationem appingere decreto per eum lato. Et id quoque respexit Paulus V, qui, quamvis, dum Cardinalem ageret,